exequijs illi ex Christiana religione, vt Antonium Paulo fecisse ipse refert, ritè anteà celebratis. Trãslatus indè posteà Romam est vnà cum Christi Saluatoris nostri præsepio, septimo Idus Maij, eo scilicet die, quo præceptoris sui Gregorij Nazanzeni festum agitur. Reiectus deindè est dies in vigiliam Ascensionis à Pio secundo Pontifice maximo, vt festiuiùs ac frequentiùs ageretur, plenaria sepulcrum eius illo die adeuntibus, criminum indulgentia condonata. Iacet autem beatissimus vir omni præconio maior, & quem cuncta suspirent sæcula, super Exquilias, proprio sibi iuxta præsepe Domini erecto altari, vbi sacra adhuc eius seruatur tunica, in ecclesia S. Mariæ Maioris: quam amplissime Cardinalis Carole Borromee, non minùs pietate & religione, quàm charitate conspicuus, & in tanta rerum affluentia ac imperij potestate, rarum apud omnes exemplum, cum immensa tua laude, & populi vtilitate, regis atque gubernas.

Præsepe Domini Romæ seruatur: Festum translationis eius.

De S. Hieronymo plura Baronius tomis quarto & quinto Annalium passim.

VITA S. HONORII DOROVERNENSIS (SIVE CANTVARIENSIS) ECCLESIÆ EPISCOPI, AVTHORE VENERABILI BEDA presbytero, Ecclesiast. Historiæ Gentis Anglorum, Lib. 2. cap. 18 & 19.

AN. 610.

I. POSTQVAM Iustus Archiepiscopus est ad cælestia regna sublatus, quarto Iduum Nouembrium die, Honorius pro illo est in præsulatum electus. Qui ordinandus, venit ad Paulinum: & occurrente sibi in illo Lindocolino, quintus ab Augustino, Dorouernensis ecclesiæ consecratus est antistes: cui etiam præfatus Papa Honorius misit pallium & literas, in quibus decreuit hocipsum, quod in Epistola ad Eduinum Regem missa, decreuerat: scilicet, vt, cùm Dorouernensis vel Eboracensis antistes, de hac vita transierit, is, qui superest, consors eiusdem gradûs, habeat potestatem alterum ordinandi in loco eius, qui transierat, sacerdotem, nè sit necessè, ad Romanam vsque ciuitatem per tam prolixa terrarum & maris spatia, pro ordinando Archiepiscopo semper fatigari. Quarum etiam textum literarum, in nostra hac historia ponere commodum duximus:

30. SEPT.

Epistolam Honorij Papæ ad Eduinum habet lib. 2. cap. 17. historiæ Angl. Beda & Baro an. 633.

II. DILECTISSIMO fratri Honorio, Honorius. Inter plurima, quæ redemptoris nostri misericordia suis famulis dignatur bonorum munera prærogare, illud etiam clementer collata suæ pietatis munificentia tribuit, quotiès per fraternos affatus vnanimem dilectionem quadam contemplatione alternis adspectibus repræsentat: pro quibus maiestati eius gratias indefinenter exoluimus, eumque votis supplicibus exoramus, vt vestram dilectionem in prædicatione Euangelij elaborantem & fructificantem, sectantemq; magistri & capitis sui sancti Gregorij regulam, perpeti stabilitate confirmet, & ad augmentum Ecclesiæ suæ potiora per vos suscitet incrementa: vt fide & opere in timore Dei & charitate, vestra acquisitio decessorumq; vestrorum, quæ per domini Gregorij * exordia pullulat, conualescendo ampliùs extendatur: vt ipsa vox Dominici eloquij promissa in futuro respiciant, vosq; voxista ad æternam festiuitatè euocet: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. & iterùm: Eugè serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium Domini tui. Et nos equidem, fratres charissimi, hæc vobis pro æterna charitate exhortationis verba præmittentes, quæ rursùs pro ecclesiarum vestrarum priuilegijs congruere posse conspicimus, non desistimus impertire: & tam iuxta vestram petitionem, quàm filiorum nostrorum Regum, vobis præsenti nostra præceptione, vice beati Petri Apostolorum principis, authoritatem tribuimus, vt quandò vnum ex vobis diuina ad se iusserit gratia vocari, is qui superstes fuerit, alterum in loco defuncti debeat Episcopum ordinare. Pro qua etiam re singula vestræ dilectioni pallia pro eadẽ ordinatione celebranda direximus: vt per nostræ præceptionis autoritatem, possitis Deo placitam ordinationem efficere: quia vt hæc vobis concedemus, longa terrarum marisque interualla, quæ inter nos ac vos obsistunt, ad hæc nos condescendere coëgerunt: vt nulla possit ecclesiarum vestrarum iactura, per cuiuslibet occasionis obtentum quoquo modo peruenire, sed potiùs commissi vobis populi deuotionem pleniùs propagare. Deus te incolumem custodiat dilectissime frater. Data die tertia Idus Iunias, imperantibus domnis nostris pijssimis Augustis, Heracho, anno vicesimoquarto, proconsulatus eiusdem anno vicesimo tertio, & consulatus eius tertio. Sed & Heracio fœlicissimo Cæsare, id est, filio eius anno tertio, indictione septima, id est, anno Dominicæ incarnationis sexcentesimo tricesimo tertio.

Epistola Honorij Papæ ad Heraclium Archiepiscopum.

*exordium:

Matth. 11. Matth. 25.

Pallij antiquus vsus.

III. MISIT idem Papa Honorius literas etiam genti Scotorum, quos in obseruatione sancti Paschæ errare compererat, solerter exhortans, nè paucitatem suam, in extremis terræ finibus constitutam, sapientiorem antiquis siue modernis, quæ per orbem erant, Christi Ecclesijs æstimarent; néve contra Paschales computos, & decreta synodalia totius Orbis Pontificumque, aliud Pascha celebrarent. Sed & Ioannes, qui successori eiusdem Honorij Seuerino successit, cùm adhuc esset electus in pontificatum, pro eodem errore corrigendo, literas ei magna authoritate atque eruditione plenas direxit, euidenter adstruens, quia Dominicum Paschæ diem lunam quintadecima luna vsque ad vigesimamprimam inquiri, (quod in Nicena synodo probatum est) oporteret: necnon & pro Pelagiana hæresi, (quam apud eos reuiuiscere dedicerat, cauenda ac repellenda, in eàdem illos epistola monere curauit. Cuius epistolæ principium hoc est.

CAP. XIX.

Vide Bar. an 634. O si isthuc obseruâssent nostrorum temporum nouatores.

IV. DILECTISSIMIS & sanctissimis Thomiano, Columbano, Chromano, Dimano & Barhano Episcopis: Chromano, Hermannoque, Laustrano, Stellano & Segiano presbyteris: Sarano, cæterisq; doctoribus, seu Abbatibus Scottis Hilarius Archipresbyter & seruans locum sanctæ sedis Apostolicæ, & Ioannes Diaconus, & in Dei nomine electus, Item Iohannes primicerius, & seruans locum sanctæ sedis Apostolicæ, & Iohannes seruus Dei consiliarius eiusdem Apostolicæ sedis. Scripta, quæ per latores ad sanctæ memoriæ Seuerinum Papam adduxerunt, eo de hac luce migrante, reciproca responsa, ad ea quæ postulata fuerant, siluerunt. Quibus reseratis, nè diù tantæ quæstionis caligo indiscussa remaneret, reperimus quosdam prouinciæ vestræ contra orthodoxam fidem, nouam ex veteri hæresim renouare conantes, Pascha nostrum, in quo immolatus est Christus, nebulosa caligine refutantes, & quartadecima luna cum Hebræis celebrare nitentes. Quo Epistolæ principio manifestè declaratur, & nuperrimè temporibus illis hanc apud eos hæresim exortam, & non totam eorum gentem, sed quosdam ex eis hac fuisse implicitos. Exposita autem ratione Paschalis obseruantiæ, ità de Peligianis in eàdem epistola subdunt.

In Scotia non ritè celebratum Pascha.

V. ET hoc quoq; cognouimus, quòd virus Pelagianæ hæreseos apud vos denuò reuiuiscit: quòd omninò hortamur, vt à vestris mentibus huiusmodi venenatum superstitionis facinus auferatur. Nam qualiter ipsa quoquè execranda hæresis damnata est, latére vos non debet: quia non solùm per istos ducentos annos abolita est, sed & [illegible] tidiè à nobis perpetuo anathemate sepulta damnatur: & hortamur, nè quorum arma combusta sunt, apud vos eorum cineres suscitentur. Nam quis non execretur superbum eorum conamen & impium, dicentium, posse sine pec-

Hæresis Pelagiana [illegible] Scotia.

cato hominem existere ex propria voluntate, & non ex gratia Dei? Et primum quidem blasphemia & stultiloquium est dicere, esse hominem sine peccato: quod omninò non potest, nisi vnus mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, qui sine peccato est conceptus & partus. Nam cæteri homines cum peccato originali nascentes, testimonium præuaricationis Adæ (etiam sine peccato actuali existentes) portare noscuntur, secundùm prophetam dicentem: Eccè enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater ea.

Psalm 50.

INTEREA defuncto Felice Orientalium Anglorum Episcopo, post decem & septem annos accepti Episcopatûs, Honorius loco eius ordinauit Thomam Diaconum eius de prouincia Giruiorum. Et post annos sui Episcopatûs quinque de hac vita subtracto Beretgilsum, cognomine Bonifacium, de prouincia Cantuariorum, loco eius substituit. Et ipse quoquè Honorius postquàm metas sui cursûs impleuit, migrauit ex hac luce anno ab incarnatione Domini sexcentesimo quinquagesimotertio, pridiè calendarum Octobrium. Et cessante Episcopatu per annum & sex menses, electus est Archiepiscopus cathedræ Dorouernensis sextus, Deus dedit de gente occidentalium Saxonum. Quem ordinaturus venit illuc Ithamar Antistes ecclesiæ Rhofensis. VI. Ex Lt. III. CAP. XX.

Consule Bar. in not. ad martyrolo. Rom.

AN. 290.

MARTYRIVM SS. VRSI ET VICTORIS CVM SOCIIS SVIS, EX GLORIOSA THEBÆORVM LEGIONE, QVORVM HISTORIA ad nos perlata est ex Francia per venerabilem D. Petrum à Leydis Carthusiæ Coloniensis olim Priorem.

30. SEPT. Diocletiani & Maximiani in Christianos persecutio.

CVM tempore Maximiani Imperatoris (qui cum Collega Diocletiano imperium tenuit) grauis persecutio Christianorum esset exorta: erant in legione sancti Mauritij Vrsus & Victor cum socijs lxvj. viri in bellicis rebus strenui, quorum hodiè natalitia colimus. Qui beati Mauritij passione & gladij terrore turbati, non absq; diuino nutu castrorum tumultus occulte relinquentes apud Solodorum castrum antiquissimum, quod est super Arulam fluuium, peruenerunt, vt per eos ibidem multorum infidelium cæcitas, fidei lumen reciperet. I.

INTEREA Maximianus Imperator audiens sanctum Vrsum sociosq; eius ab Agauno fugam dedisse, nimis furore succensus est. Accito igitur Hyrtaco, prædicti Solodorensis oppidi Præside, præcepit & iniunxit, vt vestigia sanctorum diligenter perscrutando indagaret, & vbicunquè ipsos inueniret, aut ad sacrificia deorum compelleret, aut varijs tormentis eorum vitam finiret. Igitur beato Vrso socijsque eius Hyrtaco Præsidi præsentatis, talibus verbis eos alloquitur, dicens: O viri, quis vos furor decretis principum suasit obuiare? Vestram strenuitatem monemus, & imperiali præcepto præcipimus, vt omni occasione remota, ad sacrificandum dijs omnipotentibus Ioui & Mercurio velitis vos inclinare. Alioquin vos vitam faciam varijs finire tormentis. Illi verò cælitùs corroborati dixerunt: Christiani sumus, nec sacrificando surdis & mutis idolis, Christianæ religionis ritum volumus inquinare. Hyrtacus videns sanctorum constantiam, nec posse blanditijs flecti, nec terroribus emolliri, præcepit manus & pedes eorum catenis nexibusq; constringi, ac varijs tormentis ipsos atrociter cruciari. Quod cùm carnifices studiosè peragerent, diuina clementia (quæ sperantes in se non deserit) tanto super eos splendore claricatis illuxit, vt tortores fulgore perterriti, ad terram prosternerentur semiuiui, sanctiq; martyres catenis ruptis vinculisq; dissolutis starent imperterriti, glorificantes & laudantes Dominum Deum Israel. II.

Sancti martyres ab Hyrtaco præsentati & cõprehẽduntur.

Ditis suppliciis excruciantur.

Diuinitùs liberantur.

Multi credunt.

PAGANI verò, vnà cum Præside confusione ducti, dolore & angustia torquebantur, videntes quòd multi ad Christum per miracula prædicta conuerterentur. Alloquitur itaq; Præses sanctos martyres dicens: Vnum de duobus, eligite aut dijs immortalibus sacrificate, aut vitam vestram varijs faciam tormentis finire. Respondentes sancti, dixerunt: Christus pro nobis passus est, nos etiam pro Christo, quæcunque tormenta tua decreuerit malitia inferre, parati sumus sustinere. Imperat igitur Præses furore repletus, magnam componi lignorum congeriem, & præparari maximum ignem, vt sanctorum corpora cremarentur. Cumque præsentibus multis sancti martyres fuissent adducti, Hyrtacus ait ad illos: Nisi à vestro errore resipiscatis, in his flammis corpora vestra concremabo. Sancti Spiritu sancto confortati responderunt: Nullæ nos minæ, vel tormentorum timor à sancto & iusto proposito reuocabunt, & parati sumus ad omnia pro Saluatoris nomine sustinenda. Sanctis igitur ad ignem, vt in illum mitterentur, accedentibus, eccè ventus validissimus de cœlo veniens, lignorum congeriem vndiquè succensam, tanto conamine impulit, vt dissoluta & in varias partes diuisa, penitùs extingueretur. Quod videntes multi, ad fidem conuersi sunt. III.

Dum in ignem mittũtur is extinguitur.

VIDENS autem impius Præses sanctos martyres duplici miraculorum splendore clarificatos, plurimos capite truncari præcepit. Intereà sancti martyres, Vrsus cum socijs suis, vtriusq; sexûs homines doctrina & exemplis in fide confortabant. Hyrtacus verò Præses, vt Belial furore plenus, super pontem prædicti fluminis sibi sanctos martyres iussit præsentari: vt eodem loco capite cæsos mox in alueum fluminis præcipitaret. Cæduntur ergò beati martyres, & in flumen præcipitantur, nec tamen longè à dicto ponte defluxerunt. Nam diuina misericordia (apud quam omnia possibilia sunt) suæ mansuetudinis potentiam in eis demonstrauit. Non longè namque à dicto põte, capita sua in [a] manibus portantes, flumen egressi sunt, & ad locum, vbi nunc in honore ipsorum basilica fabricata est, peruenerunt. Mirabilia hæc, & mirabilibus mirabiliora succedunt. Sancti enim martyres genua ad terram flectentes, quasi ad vnius horæ spatium, priusquàm corpora sua ad terram deponerent, cunctis cernentibus orabant. Orationi verò [b] fine dato, corpora sua ad terram dimiserunt, acsi dicerent: Hæc requies nostra in sæculum sæculi. Venientesque surdi, cæci, claudi, [c] imbecilles & paralytici, seu quacunque infirmitate detenti, tangebant corpora sanctorum: & subitam recipiebant sanitatem. Energumeni quoquè seu dæmonibus obsessi, ad tactum sanctorum curabantur martyrum. Et vsq; in hodiernum diem, si fides petentium non titubet, per Dei gratiam curantur. Passi sunt autem Vrsus & Victor cum socijs suis apud Solodorum pridiè Calendas Octobris, regnante Domino nostro Iesu Christo, qui est benedictus in sæcula, Amen. V.

Cæduntur gladio & in flumen præcipitantur.

[a] Manibus capita sua deportant ad locum sepulturæ.

[b] Stupendũ miraculũ Psal. 131.

[c] Multi ægri curantur.

VITA B. P. FRANCISCI BORGIÆ SOCIETATIS IESV PRÆPOSITI GENERALIS, AB IGNATIO TERTII, A P. RIBADINEIRA Hispanicè scripta, Andrea Schotto Societatis eiusdem interprete.

VT illustrium virorũ res, domi, forisque gestas, literarum monumentis consignarunt, ij fere maiorum stirpes à capite arcessere solent. Equidem breuiter, etsi felicitatem hic non metiar, Francisci Borgiæ, patre, auo, maioribus clarissimi, natales recensebo: quando ad laudem permagni interesse existimant, domi nobilem, virtutis via ad Pietatis culmen peruenisse; contemptisq; maiorum imaginibus, & honorum titulis Christo sese Crucifixo consecrasse. I.

Igi-